

reum V A tantulùm adductum valvulam quandam A pariter occultatam adaperiat, & per hanc aperturam compressus intra cranium aër per canalem A B in capsulam C & ex hac per fistulas D, D, in fibras vesicarias D E erumpat; quibus inflatis & abbreviatis cubitum pugnumque ad pectus adduci necessario contingeret. Cæterùm quo pacto interna hæc machinamenta externo corporis habitu vestire & obtegere, musculares hujusmodi texturas circa flexûs articulorum fibulis coërcere, ne inflatæ antrorsum nimis protuberent, oporteat, ut scilicet humani corporis analogia, quoad ejus fieri possit, ubique servetur; quo item modo fieri queat ut subito intronissus in artificialem hujusmodi musculum aër, sensim deinde alibi erepat, ut remittente musculo in situm pristinum restituatur articulus, hæc, inquam, & specialiora multa alia dexteritati & ingenio eorum commendamus, quibus rem ipsam aggredi collubitum integrumque fuerit.



## TENTAMEN XII.

De

*Situla & Hydriis Helmontianis.*

I.

**E**st vulgare quoddam experimentum de orbiculo ligneo è fundo situlæ aquâ plenæ ad summitatem usque ascendente, quod valdè urget *Henricus Morus* Enchirid. Metaph. Cap. XIII. & alibi passim, pro Hylarchico suo principio demonstrando, prout ea de re prolixius à nobis actum est in *Auctar. Part. I. Colleg. Experim. p. 41. & seqq.* pluribusque agetur infrà in *Append. hujus Part. II. num. XXXVIII. & seqq.* Hoc loco ipsum experimentum nude proponere constitutum est, quod sequentibus aliis facem quasi præferat lucemque accendat.

II. Cer-